



CONSTANTINVS filius tam impio successit patri, &
 quia infans sacram lympham uentris solutione polluerat
 cognomento Copronymi insignitus est, proles nimirum haud
 degenerans ab impietate & sceleribus paternis. Magice ar-
 tis ad insaniam fuit deditissimus. ARTABSDVM ab or-
 thodoxis imperatorem creatum post biennium, captum o-
 culis & liberis priuauit, periit ipse Elephantie morbo cum
 imperasset annos cum patre xxxiiij. Quem secutus LEO
 IIII. filius impietatis paternae heres, Hic unam omnino
 in Syriam expeditionem fecit, unde repulsus domum redie-
 ens febre decessit, quam subsequutam narrant ex sacrilegio
 perpetrato (abstulit, n. e templo Diadema regium à Mauri-
 tio olium principe Deo dicatum) regnauit annum uix inte-
 grum, reliquit ex Irene coniuge probitate & forma insig-
 ni foemina, Constantinum filium.